

Jacob Sebastian Lauremberg

**Programma Quo Historiae, Antiquitatis, Et Civilis Prudentiae Studiosos, Atq[ue] Amatores ad audiendam sedulo & pertinaciter C. Cornelii Taciti Annalium interpretationem benevole invitat**

Rostochi[j]: Kilius, 1650

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730216624>


Druck Freier  Zugang



RU phil 1650

Jacob Sebastian Lütkenberg







PROGRAMMA

Quo

HISTORIÆ,  
ANTIQUITATIS,  
ET CIVILIS PRVDENTIÆ  
STUDIOSOS, ATq; AMATORES  
ad audiendam sedulo & pertinaciter  
C. CORNELII TACITI AN-  
NALIUM interpretationem be-  
nevole invitatur.


JACOB. SEBASTIAN.  
LAUREMBERG. J. U. D.  
& Historiarum Profess.  
Publ.

*Ad 3. diem Decembris  
horam post meridiem secundam.*



Rostochl,  
Typis NICOLAI KILLII, Acad. Typogr. An. 1650.





# HISTORIÆ STUDIOSIS

S.



Oepe ego mirari soleo, qui fiat, quod cum cœteræ disciplinæ omnes æstimatores inveniant, dignæq; putentur, quibus se dedant Juvenes, atq; emancipent, sola HISTORIA aut nullos habeat cultores, aut perpaucos; Hujus vero strenuissimæ inertix, & insignitæ supinitatis causas pressius inquirenti mihi, atq; pernovisse satagenti duæ potissimum occurrunt: quarum prima atq; princeps est, quod sicuti ad quæstum nunc literæ diriguntur, ita quæstusenseantur solo, tantoq; in honore sint, quanto lucro adficiunt mulcentq; consecratores, quantaq; mercede industriam eorum, laborumq; impensorum tædium redhostiunt, & compensant; Sane sicuti Ulpiano JCro dicente, Civilis Sapientia sanctissima res est, nec precio nummario aut æstimari debet, aut dehonestari; sic quoq; cœteræ artes liberales, atq; ut Tullius eas vocat ingenuæ, præstantioris conditionis sunt, quam ut dignationem à quantitate lucelli vel sumant, vel amittant. Manuaria opera, atq; meritoria artificia, quibus occupantur, quæq; exercent qui à Musarum abhorrent contubernio, atq; Herodoto teste apud omnes etiam Barbaros pro ignobilioribus civibus habentur, & habendi sunt merito, si ditant, si sacculos replent, nummisq; farciunt.



farciunt, videmus magnifacere vulgum, & per studiose  
addiscere, spernere è contra illa & comtemptim negli-  
gere, quæ haud amplo quæstui fore intelligit & prævi-  
det; scilicet profana plebs, cujus genius neuiquam Vir-  
tutis capax est, cum in splendenti stercore, in rejecta-  
neis illis naturæ, quæ ex telluris vestæq; cloacis, & fæ-  
disimis specubus eruuntur, felicitatem omnem sitam  
opinetur, suamq; reponat, illis artibus solum inhæret in-  
sudatq; , ex quibus lucrum sperare habet, atq; sibi polli-  
ceri, quarumq; ope & adjumento solari potis est hiulci  
pectoris insanam cupidinem, veritamq; auri restinguere  
sittim; hinc fit, ut censu divitiisq;, censeantur apud illam  
conciues, non rerum notitiâ aut sapientiæ dotibus: clau-  
dus cerdo & veteramentarius, aut elumbis agaso, & ma-  
leolens bubsequa etiam si summa habeat peccata, flagi-  
tysq; commaculatus sit teterrimis, si saltem maximam  
quoq; habeat pecuniam, atq; modio metiatur nummos,  
heros strenuissimus audit, nec ulli quisquis etiam ille  
fuerit, de semita decedere, aut petasum aperire dignabi-  
tur; intelligit enim se pro Numine ab omnibus haberi  
propter divitias coliq; etiam si nebulo sit intus & in-  
cute, fur, trapezita danista impostor, plagiarius & omni-  
bus his scelestior ac fraudulentior. Ita apud vulgum vir-  
tutis opus nummi agunt; qui detestabilis atq; pernicio-  
sissimus error, & exitiosum veræ sapientiæ, bonisq; ar-  
tibus malum, utinam non serpsisset longius, atq; grassa-  
tum esset! sed afflavit illud eheu! tanquam pestilens sy-  
dus etiam ipsam Apollinis sedem, & Musarum domici-  
lium, eorumq; animos infecit quoq;, qui litterati sunt,  
aut ad minimum esse volunt atq; appellari; Dic enim so-  
des qui fit, quod vix unus eas sibi prospiciat artes atq;  
paret, quibus aliquando Juventuti in Scholis erudien-  
da, pag



de; par sit & idoneus, ubi vel decem id agunt omni nixu  
inq; eo ingenium & industriam fatigant à teneris, ut  
olim in foro & subsellis versari, litesq; artificiosa ne-  
quitiâ, & scelestissima vafritie ducere atq; comperen-  
dinare, & de re ne titivilitio quidem aut casta nuce  
emenda, totos dies rixari, figurisq; ut Tranquillus lo-  
quitur, ludere, & scommatibus veluti armis telisq; con-  
flictare valeant, tum præprimis, ubi (Ammiani verba  
sunt) commissarum sibi causarum infirmitatem rationi-  
bus validis convallare nesciunt; an quæso ideo quod  
hic talis illi præstet? nequicquam vero: quin imo ego  
mihi omnino consuadeo, unum ludi magistrum, atq;  
pubis ingenuæ fidum doctumq; informatorem, plus  
conferre in Rempublicam emolumentum atq; posteros,  
quam sexcentos sexaginta quinq; Causidicos: Non mi-  
hi heic sermo est de Juris legumq; peritis, qui advoca-  
tionem suam accommodant periclitanti innocentia, qui  
religiosi Justitiæ sunt tutores, & pyssimi sacerdotes,  
hocq; patrocinio æq; provident humano generi, quam  
si patriam armis defensarent, spiritumq; & vitam ei im-  
penderent atq; gratificarentur; est enim horum officium  
gloriosum, atq; illustre & honorificentissimum, nemoq;  
illis præferri & anteponi potest aut debet; Sed loquor  
de hujuscemodi vappis hominum, de rabulis & vulturi-  
bus subbasilicanis & togatis, de scurris illis subrostra-  
nis, qui vocem foro prostituunt, qui quavis mercedula  
coram quovis pedaneo venalem linguam & animam  
habent, qui non causas agunt, sed ad causas, qui rem  
unam sciunt accurate & examussim, unam nesciunt &  
ignorant planissimè: Sciunt ea quæ ex aliorum (ut  
cum Pragmaticis loquar) A C T I S exscriserunt,  
atq; suffurati sunt, magno spiritu, & extrema stentoriae  
VOCIS



10  
vōcis laterumq; contentione declamare, & prodigere;  
nesciunt pudere, & erubescere ubi turpiter sedant,  
suamq; non sine ostentatione produnt inscitiam. Ad  
hoc abjectum, & vile, atq; mercenarium vitæ genus  
innumeri adspirant, at elegantiora sublimioraq; studia  
pauci tractant, & colunt: vine causam? nullā alia est  
profecto, quam quod Didascalus etiam optimi com-  
matis, & subacti iudicij, laudabilisq; industriæ qui to-  
tum diem contrivit molestissimis laboribus, ubi ad su-  
dorem usq;, & animi deliquium excarnificatus & exer-  
citus sero vesp̄ri domum revenit, nihil in cœnam ha-  
beat præter pisciculos, minutulos, aut acidum & fatuum  
olis: at IMPUDENTIUM redeuntem è foro aut  
Grammatophylaceo pontificalis & dubia cœna exspe-  
ctet, viniq; delicatissimi amplissima amphora; ille enim  
cum gratis clamavit in Schola, ad lares suos nihil repor-  
tat præter fatigata membra, & sacculum inanij replen-  
tum, hic qui

— clamosi rabiosa fori

Jurgia vendens improbus iras

Et verba

elocavit ære multo gravis redit domum, hinc bo-  
nus ille Pædagogus strenuissime esurire cogitur, aut cœ-  
nare Philosophice & tenuiter, IMPUDENTIUS  
vero genium curat, atq; dapsiliter & lautissime epulatur.  
Atq; hoc ipsum est, quod multos ab ingenuarum litte-  
rarum & HISTORIÆ cultu deterret & avocat, ad  
plebea vero & proletaria studia allicit & inflammat:  
Equidem non tam male comparatum est cum Annalium  
conditore aut interprete, at egere necesse habeat, &  
cum paupertate próbrose colluctari, ut fatum ejus opu-  
lentitatis videatur incapax, sed tamen cum non nisi ab

A 3

excelsis



excelsis animis laborum industriæq; mercedem sibi ha-  
beant polliceri, qui monumenta veterum excutiunt, &  
antiquitati cognoscendæ invigilant, ubi fordes & fæx  
civitatum, & qui brachio nares emungunt, nummis  
præsentijs quotidie conducunt Rabularum operam,  
fit ut hæc studia negligantur à plærisq; de successu felici,  
præmijsq; & præcijs eorum formidolose desperantibus.  
Altera causa cur segnius quam par erat Historiæ tracten-  
tur hæc est: Quod non pauci consuadeant sibi, cre-  
dant q; penissime, cognitionem scientiamq; earum in-  
nasci homini, aut ignorantibus quasi non animadvertenti  
obrepere non aliter quam pediculi solent; adeoq; neuti-  
quam peculiarem operam exigere, aut mereri: Scilicet  
horum iudicio aut errore potius, satis est fabellis posse  
ludere, atq; in circulis & convivijis iisdem sympotas  
oblectare & combibones, temporisq; aut protractæ cæ-  
næ prandyve edulcare & minuere tædium: Sed hoc quid  
aliud est quæso, quam impudenter & nefarie obterere,  
& prophanare tantæ disciplinæ Majestatem, litterasq;  
bonas infamare nequiter? Nonne hoc modo Historia-  
rum quoq; peritiâ censebuntur, aniculæ nostrates, quæ  
propter Spiritus S. templum nendo unciatim quæstum  
quærunt, dum fabellas alternatim sibi ogganniunt & de-  
blaterant, ne sopor manus (ut ille inquit) calvatur, fru-  
streturq; & decipiat; aut gerulæ, quæ post fornacem,  
enarratione nugarum nugacissimarum pusionibus & va-  
gientibus infantulis somnum sufflaminant, emanantesve  
lacrymas remorantur aut sistunt.

Hæc malè sanæ & ignobilis plebeculæ pestifera deliria  
non debent vos infatuare, aut seducere **JUVENES**  
**NOBILISSIMI**, ut cum illa opinemini una, antiquita-  
tis rerumq; retro gestarum notitiam insuper haberi,  
otioye in sititio acquiri posse & comparari; quin potius  
sicuti



10  
sicuti fatagitis supra profanum vulgum adfurgere atq;  
eminere, sic quoq; seorsim ab eo sentire, & quæ ille ne-  
gligit atq; adspernetur, vos oppido colere, atq; æstimare  
addecet, memores sciti illius: QUI EX ERRORE IM-  
PERITÆ MULTITUDINIS PENDET EUM IN  
MAGNIS VIRIS NON ESSE HABENDUM.  
Longe alia in doles est Historiæ, quam indoctis putatur,  
longe excelsior & eminentior dignatio ejus & præstā-  
tia quam ut triuys debeat ancillari. *Prudentes illa reddit sui  
cultores, & huic seruit fini; memoria veteris ordinem texit, atq;  
fidissime commonstrat, quid in magno hoc mundi theatro actum  
patratumq; sit, antequam tu in cola ejus fieres, personamq; nan-  
cisceris; representat. & ob oculos ponit res gestas ab atate tua  
remotissimas, tam evidentem & perspicue, quasi ipse oculatus ea-  
rum spectator fuisses, aut etiam pars aliquota & administer, pan-  
dit antiquitatis iter, exemplorum fenerator & suppeditat uber-  
rimam copiam; CONSILIA quibus ventum est ad hac aut  
illa tentanda, & obeunda aperit & revelat; addit ACTA me-  
moratq;, nec EVENTUM silet aut invidet, aut dissimulat, sed  
candidissime sine fuce, sine metu odij trave, sine studij aut favoris  
aut gratia ambitione promulgat, & exprimit; laudat quæ com-  
mendatione digna, vituperanda reprobendit, explicat casus vel  
Sapientia, vel temeritatis; disertissime monet, consolatur, præ-  
cipit, dehortatur, deterret, accendit, inflammat ad pulcherrimas  
amulationes, docet miseras & felicitates, secundas, aduersasq;  
res animose tolerare, ut neutris succumbas mollisè, aut corrup-  
paris. Testis temporum est secundum Tullium, Lux veritatis, vita  
memoria, nuncia vetustatis, atq; ut verbo dicā, MAGISTRA  
VITÆ, ejusq; prudenter vivendæ BELLISSIMUM  
SUBSIDIUM. Jucunditatē ineffabilem, voluptatemq;  
quæ ex lectione atq; auditione Historiarum percipitur,  
honestissimo palpo mulcentem juvenes, viros effascinan-  
tem.*



tem admirabiliter, senes solantem blandule, atq; ad sarcophagum usq;  
concomitantem, aratisq; ex parte levantem molesto radio, sicco pede &  
consultò prætereo, ut pote quam utilitas quasi absorbet, nec in com-  
parationem admittit, aut venire patitur, de qua malo ut experiamini,  
me minus dixisse quam poteram, aut debebam quam in ea commen-  
danda esse prolixior.

Vos Nobilissimi Juvenes impartimini, sultis, atq; elocate huic  
eruditionis nequicquam postremæ parti dietim horulam unam, eoq;  
probatum facite, quantû altitudo pectorum vestrorû abhorreat à prava  
seculiconsuetudine, quâ illis disciplinis æstimû est, non per quas animus  
divinæ illa particula auræ, sed per quas domus splendescit & locupleta-  
tur; cui perniciosissimæ cauponationi, & execrabili instituto nisi pro-  
pæmodum exsequiæ eantur, ingenuis litteris ibuntur, & artibus bonis,  
atq; de his actum erit penissimè, quam barbariem & pestilentiam aver-  
tat clementissime, qui cuncta arbitratu suo ordinat & disponit.

Ego vero ut demandatæ mihi pro nuper Spartæ publicæ pro vi-  
rili mea parte, & ingenij modulo atq; tenuitate satisfacere incipiam,  
constitui bono cum Deo C. CORNELII TACITI autoris gravissimi,  
& incomparabilis ANNALIUM libros publicis Lectionibus inter-  
pretari, quorum initio ille pauca de Augusto & extrema repetendo,  
præcipua Imperij Augustei momenta egregio artificio est complexus;  
Cæterum ne videamur hæc sacra illotis, ut sic dicam, manibus contre-  
ctare atq; sine præmiali præparatione de improvviso & quasi quodam  
impetu rei ipsius invadere arcem, operæ esse existimavi præcium, ut quæ-  
dam præferer, atq; præmitterem de autore hoc ejusq; scriptis, & di-  
ctione, ex quibus in simul cognoscetis, cur hunc præ alijs enucleandum  
mihi delegerim. Fiet id perendie hora 2, Pomeridiana in Auditorio  
magno, ad quem præliminarem discursum audiendum, vos officiose  
invito, utq; & illo, & subsequenter quibus docturus sum, diebus fre-  
quentia vestra & favorabili attentione studia nostra excitare laboresq;  
nostros vobis non displicere numerofo conventu testatum facere  
velitis, quanto possum opere contendo. P.P. Calen-  
dis Decembribus c1o Ioc, L.

16(0)30













